



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Volumen Epistolarum, Qvas Romani Pontifices, Gregorijs
III., Stephanvs III., Zacharias I., Pavlvs I., Stephanvs IV.,
Adrianvs et Pseudopapa Constantinus miserunt& reges
Francorum, Carolvm Martellvm, ...**

Gretser, Jacob
[München], 1613

Lectori.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65166](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65166)



LECTORI.

IN antiquo Codice, minutissimis & implicatissimis characteribus exarato, quem mihi vtendum benignè concessit admodum Reuerendus & Amplissimus Præsul IOANNES, celeberrimi Monasterij Cæsarensis, Ordinis Cisterciensis, Abbas religiosissimus, reperi varias qua profanas, qua Ecclesiasticas Epistolas, plurimas tamen anepigraphas, ex quibus, si nonnullas huic operi Epistolico adiungerem, rem gratam me lectoribus facturum existimabam. Seligere autem constitueram, illas potissimum, quæ historiam continent eius temporis, quod Friderici II. Imperatoris Imperium exceperit, cum studiis partium varij Cæsares electi, aliisque alij oppositi, vsque ad Imperium Rudolphi Habsburgici ab Añõ MCCXLV.

y 2

ad

AD LECTOREM.

ad Annum MCCLXXIII. quo Germaniæ
quies reddita; inter quos Cæsares, fuere Hen-
ricus Lantgravius Hassiæ & Thuringiæ,
Vilhelmus Comes Hollandiæ, Richardus
Anglus Comes Cornubiæ, Alfonsus Rex Ca-
stellæ & Legionis, quibus tandem faustissi-
mis auspiciis susceptus est Rudolphus Hab-
spurgicus, tot Augustorum Augustissimus
Progenitor; ad quos omnes variorum Pon-
tificum Epistolas, ut & ipsorum ad Pontifi-
ces præcipuè, huic operi Epistolico anne-
ctere cogitabamus: sed cum singulis propè
pagellis ineluctabiles mendæ occurrerent;
consilium mutare coacti sumus donec bo-
na fortuna emendatiorem Codicem vel
mihi vel aliis offerat. Multa complectuntur
cognitu digna, nec fortè alibi inuenienda.
Sed vel ter geminis Herculis opus sit ad om-
nia, quæ nusquam non occurrunt, monstra
debellanda. Fidelissima & certissima est E-
pistolaris Historia; ut non semel Illustrissi-
mus Annalium Ecclesiasticorum Conditor
Baronius testatur; quam neque hîc, in ævo
alioqui satis obscuro, lectoribus inuidissem,
nisi

AD LECTOREM.

nisi impedimenta, quæ dixi, cupientis impetum retardassent. Correxeram quidem nonnulla menda, ex Codice quodam Epistolico, quem vir clarissimus & eruditissimus LAURENTIUS PIGNORIUS, Augustam Vindelicorum ad amplissimum Dominum MARCUM VELSERUM, Irvirum Augustanum, miserat. Sed quia Codex ille non nisi pauculas Epistolas Codicis Cæsariensis comprehendebat; non nisi paucula vulnera sanare licuit, quorum paucitas præ innumerabili malè habentium locorum multitudine ne apparebat quidem. Vale.

